

De Fine seu ultimo Termino Stellarum.

CUM consentiant ferè omnes, finem denique Stellarum dari; Quæritur quid eas finiat? De quâ quæstione ejusque responsione, tot & tam diversæ reperiuntur sententiæ, ut nullo fermè modo sint conciliandæ. Quidam enim volunt, quod finiantur ultimo Cælo, primo scilicet sic dicto Mobili; Quidam Aquis supra-cælestibus; Quidam Cælo Empyreo; Quidam pluribus aliis Mundis; Quidam Spatio imaginario; Quidam Nihilo; Quidam Vacuo, &c. de quibus omnibus *lib. 1. cap. 31, 32, 33, 34, 35*, egimus.

Nos autem toto ferè *lib. 2.*, satis docuimus: ENS esse IMMENSUM, NECÉSSARIO ubique & in Infinitum ita existens, ut nunquam possit aut potuerit non existere; nimirum *Universale illud omnium rerum Continens*, quod brevi verbo *Spatium* vocamus, cujus immensitatis terminus non dari, nec finis ultra quem non esse possit, nec plura in Eo creata, imò etiam meliora de quibus nos nihil scimus, existere possent, assignari potest; Ergo, SPATIUM ut Stellas semper finiat, ubi ubi etiam sint, necessario sequitur.

Unde quàm ingentem etiam Pat. Kircherus dialogo præcedenti descripserit Mundum (si saltem pro unico æstimari poterit, nec multi, seu potius innumerabiles in isto dicto unico sint comprehensi) nullam tamen ad *Immensum* habet proportionem, sed omne quod Mortales in *Eo* designant punctum est; Sin verò insint innumerabiles; tamen consistunt in numero & quantitate. Omnis autem numerus, *per cap. 9. & 10. lib. 2.*, est finitus; Omnisque quantitas, *per cap. 12. ibidem*, est finita. Ergò, etiamsi in *Immensio Spatio*, nullus unquam Mundorum esset finis, tamen ex illis omnibus nullum efficeretur *Immensum*, sed essent in Numero; Ac etiamsi, *secundum dict. cap. 10.*, quilibet Mundorum ex tot arenulis (& multò pluribus myriadibus) consisteret, quot nume-

rus 53 SiphRARUM ordine positarum comprehendit, nihilominus omnes unà cum tot arenularum myriadibus, numerò continerentur, neque numerus Mundorum cum numero arenularum auctus, efficeret Immensum, sed saltem numerum, 53 Siphris ordine positus, auctum.

Ad quæstionem autem illam, An finis vel Stellarum, vel Mundanorum Systematum detur? respondendo, me minimè sufficientem profiteor; cùm argumenta pro & contra producantur.

Pro *Negativa*, rationes in *cap. 34. & 35. lib. 1.* sunt inveniendæ, quò brevitas studio me confero & Lectorem remitto.

Quibus quoque subscribit Plutarchus *lib. 1. de Placit. Philosophorum: cap. 3.* dum inquit: *Anaximander Milesius rerum Principium esse dixit Infinitum; ex hoc enim omnia fieri & in hoc omnia corrumpi: quapropter etiam generari infinitos Mundos, ac rursus corrumpi in id ex quo geniti sunt. Errat autem hic (ait Plutarchus) quod non dicit quid sit Infinitum, num Aër sit, aut Aqua aut Terra, aut alia quædam corpora. Errat igitur materiam quidem constituens, causam verò efficientem tollens; Infinitum enim nihil aliud quam materia est, non potest autem materia esse actio, nisi causa efficiens subsit. Hæc Plutarchus. An verò jure Anaximandrum reprehenderit? Aliis dijudicandum relinquimus.*

Præterea, est sententia Theologorum quod saltem unus sit Mundus, cum de pluribus Literæ Sacræ taceant. Si autem unicus tantum est Mundus, cum etiam finem habere (Mundus enim infinitus non datur) simulque cum eo stellas Fixas, quia huic Mundo pariter eas annumerant, finiri, necesse est.

Pro *Affirmativa* stant: 1. suprà *cap. 15. lib. 6.* Pat. Reitæ sententia, quod *multæ res in rerum natura* (ceusunt Stellæ Errantes vel Planetæ) *dentur, quarum in Scriptura, nulla fiat mentio; ex quo non sequitur, quod non sint, seu, quod ultra infinitas mil-*

An finis Stellarum detur?

Rationes pro negativa.

Spatium est quoque extra Stellas Fixas.

Rationes pro affirmativa.

Patris de Reita sententia.

In Scriptura non omnium rerum fit mentio.